

**Quaestio medica. Pro baccalaureatu. : Mane discutienda. In almâ  
Monspeliensium medicorum academiâ. / Praeside R. D. Henrico Haguenot  
... ; Sub hac verborum serie? ; An morosi potus salviae. ; [Propugnabit ...  
Jacobus Cassiere ...].**

## **Contributors**

Haguenot, Henri, 1687-1775.  
Cassiere, Jacques, active 1712.  
Ecole de médecine de Montpellier.

## **Publication/Creation**

Monspelii : Apud Honoratum Pech, Regis, Universitatis, Cleri & Urbis typographum, M.DCC.XII.

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a6t23p7j>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

QUÆSTIO MEDICA.  
PRO BACCALAUREATU.  
MANE DISCUTIENDA.

In Almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ.

P R A E S I D E .

R. D. HENRICO HAGUENOT DOCTORE AGGREGATO  
SOCIETATIS QUE REGIÆ SCIENTIARUM SOCIO  
SUB HAC VERBORUM SERIE?

*An morosi potus salvia.*

**M**OROSIS que à Græcâ voce , μωροσις , suam denominatio-  
nem sortitur , à latinis authoribus fatuitas , stupiditas , tarditas mentis ,  
imbecillitas , vel hebetudo nuncupatur.

Licet autem in genere pro quâcumque mentis hebetudine accipi  
possit , usus tamen invaluit apud rerum medicarum scriptores , ut pro habituali-  
tantùm mentis hebetudine usurpetur , in quâ adeò lœduntur tam interni quam ex-  
terni sensus , ut ægri patentibus oculis arrectisque auribus videantur dicta omnia  
perfectè excipere , res tamen etiam captu faciles languidè comprehendant ; inter  
illos nonnulli sive ingeniosis , sive stupidis nati parentibus , rerum anteà cognita-  
rum obliiscuntur , vel earum paucas recordantur , hi aliquando , illi verò nun-  
quam judicia proferunt , utrique obscurè judicant , obscurius ratiocinantur : fati-  
cit insuper motus muscularis , palles eorum facies , extrema frigent , debiliter mi-  
santer arteriæ , respiratio plerumque lenta est & parva , quandoque magna , tandem  
ægroti omnia ita oscitanter agunt ut stoliditatem suam miseratione dignam simplici  
vultu , mollique incessu facile fateantur.

A

His ita prælibatis juvat nunc stupiditatem definire habitualem animi ad ritè percipiendum, judicandum & ratiocinandum imbecillitatem, habitualem dico nisi enim aliquandiù duret affectus, vel altiores agat radices, medici non eget auxilio, neque moroseos nomine debet insigniri.

Dividitur in perfectam seu gravem, & imperfectam seu levem, in perfectâ facultas sensitiva aliæque principes magnam patiuntur ecclypsim, in imperfectâ verò prædictæ facultates minus caligant.

Alia quoque est morosis quæ à vitio parentum in prolem translato, alia quæ à pravâ dispositione in sinu materno contractâ sine ullâ parentum labe, alia demum quæ à causis externis & manifestis dependet, primam hæreditariam, secundam congenitam, tertiam acquisitam vocare placet.

Jam verò hujus affectus causam proximam ut eruamus, inquirendum accurate quantūm in nobis erit, à quo fonte naturalis prodeat ingenii acies, hoc enim probè cognito, quæcumque mentis hebetudinem producere possunt facilius assequemur.

Vetum ut norunt Physici omnes, hæc sancita fuit lex unionis à supremo conditore inter corpus & animam, ut quoties certi quidam fiunt motus in corpore, toties certæ quædam modificationes in animâ orientur & vice versa, undè patet mutuam esse corporis ab animâ & vicissim animæ à corpore dependentiam, ac proinde perspicacitatem ingenii vel ex animâ vel è corpore necessariò profici sci.

Quoniam verò certum est animam esse substantiam incorpoream nullique per se obnoxiam mutationi sed potius juxta sapientis effatum, à terrenâ inhabitatione aggravatam, planè sequitur naturale ingenii acumen, non ex animâ, sed è corpore, duntaxat debito scilicet ac celeri fibrarum cerebri motu proximè deducendum; ille supponit certam quandam tensionem quæ relaxationem inter & rigiditatem media est, & præterea naturalem spirituum constitutionem, debet ergò ulterius deduci naturalis acies ingenii, tūm à rectâ spirituum diathesi tūm à debitâ dispositione fibrarum.

Et quidem si spiritus neque serosi sint neque crassi, sed naturali quadam agilitate debitâque donentur consistentiâ, necesse est ut requisita tribuantur partibus externis & internis tensio, ac proinde spiritus ab objectis versus emporium satis fortiter facilique negotio repellantur, animam de impressione factâ citò monituri: si pariter nec prætermodum rigidæ, nec flaccidæ sint fibræ cerebri, sed naturalem hanc adeptæ fuerint tensionem ac flexibilitatem propter quam motui facile suscipiendo sint idoneæ, debent illæ ab appellente spirituoso fluido ritè constituto promptè & sufficienter commoveri, vividas ideas celeriter excitare in anima, adeoque objectorum attributa expeditè vividèque exhibere, hinc sit ut illi qui cerebri villos & spiritus talis indolis nocti sunt, obvia quæcumque objecta benè facileque percipient.

Cæterum cum ita constitutæ cerebri fibræ non solùm à laudatis spiritibus motum facile suscipiant, verum etiam susceptum semel aliquandiù conservare aptæ sint, sequitur fore ut insculpta in corpore calloso vestigia aliquandiù remaneant, & consequenter anima comparando inter se proprietates objectorum, possit negando vel affirmando judicare; hoc enim modo facultas animæ judicandi naturaliter exercetur, non mirum ergo homines tali temperaturâ præditos ritè judicare & alia ab alijs facile discernere.

Porrò quoniam hac unicā ratione objecta idearum separantur, vel conjunguntur quodd unā cum attributis prius cognita fuerint, quod celerius idē satis intensae menti offerentur, eò acutiora ac promptiora fore judicia manifestum est: sagaces ergo & acuti judicii futuri sunt ii quibus talis obtigit spirituum & fibrarum cerebri temperies.

Ratiocinium est facultas animæ secundum quam variā factā objectorum comparatione, unum ex duobus judiciis colligitur, sed anima nequit sic ideatum objecta varia inter se conferre & unum ex alio colligere, quin eodem ipso tempore priorum judiciorum à quibus infert, certain habeat cognitionem, sequitur fore ut illorum idē simul in cerebro existant & aliquandiū perseverent ad excitandum ratiocinationis actum; sed suppositā naturali spirituum & fibrarum diathesi, illæ vibrantur satis validè ut motus continuetur, debent ergo acutē ratiocinari quibus natura provida prædictam concessit fibratum cerebri & spirituum constitutionem.

Denique memoria est thesaurus quidam cerebri in quo ita aservantur præteriorum imagines, ut autē acta, vel visu, aut alio sensu cognita pro voluntatis nisu facilè à mente repetantur ac revolvantur, sed res anteā cognitæ nequeunt repeti ac revolvi, quin fibræ cerebri eodem modo quo antea concussæ fuerant, nunc agitantur, nec ita agitari fibræ & spirituum motibus obsequi nisi flexibilitatem quandam obtineant seu aptitudinem ad priores tremores repetendos, sequitur ad memoriam renovandam, flexibiles fore fibras & aptas quæ eodem ritu oscillari, iisdemque spirituum motibus obtemperare possint quibus anteā motæ fuerant ad primas objectorum ideas inducendas: hæc autem fibrarum flexibilitas & docilitas à prædictâ cerebri & spirituum temperie apprimè deducuntur, in hac ergo constitutione non solum prompta fiet fibrarum succusso, mox aliquandiū duratura ut judicia & ratiocinia ritè perficiantur, verum etiam fibræ flexilitatem illam adipiscuntur quæ necessariæ requiritur ad naturale memoratiæ facultatis exercitium.

Jam verò quoniam proinpræ sensuum operationes ingenium acutum constituunt, cumque ulterius istæ necessariæ dependeant, ut dictum fuit, à prædictâ fibrarum cerebri & spirituum constitutione, patet exinde aciem ingenii tūm ex debita fibrarum diathesi tūm ex naturali spirituum crassi esse oriundam, ac proindè si obtundatur & hebetetur ingenii acies, illud vel in vitiatam spirituum indolem, vel in pravam dispositionem organorum esse refundendum.

Quænam itaque sit spirituum animalium prava constitutio, quod vitium cerebri nunc accuratiū indagandum; & primò quidem cum (uti superius innuimus,) ad mentis aciem desideretur certa spirituum indoles ita ut nec sero nimis diluantur, nec sulphure aut terrâ nimium obvolvantur, planum est ex præternaturali spirituum crassitie vel ex serosâ eorum diathesi ingenii tarditatem esse repetendam; verum non est cur crassitatem spirituum hic accusemus, hæc enim potius catalepsim vel delitia quam morosim induceret, ergo si à vitio spirituum hebetudo mentis oriatur, id indè erit quia latex spirituosus nimio obrutus sero imparem habet vim fibrillis cerebri satis validè oscillandis; enim verò nequeunt spiritus aqueis partibus immersi, quin salia quibus constant maximam sui divisionem

patientur, nec maximam sui divisionem pati spirituosa salia, quin illa minorem motū quantitatem ratione molis à causā pellente suscipiant, nec demum minorem motū quantitatē suscipere, quin segni motū in fibras corporis callosi impingant easdemque debiliter succutiant, futurum serie necessariā ut mens non diū hæreat in contemplandis objectorum proprietatibus, sed hebetata potius, vel nullas vel paucas tantum complecti possit; hinc debiles idēx facileque delebiles, memoriaz, judicii & ratiocinii defectus, vel corundem imbecillitas.

20. Vitium contrahent fibræ cerebri, si magis quam par est rigeant aut flaccescant, rigiditatem illam non solum morosi excitandæ insufficientem, sed merè hypotheticam esse ex cadaverum sectione evincitur, imò nec supposita stupidi-tatis parens esse posset; fibræ enim vel nullum, vel majorem motum hac posita rigiditate susciperent, atque adeò vel catoche vel idēx deliræ producerentur, si igitur vitiatæ fibræ aliquid ex se conducant ad mentis hebetudinem maximè quia laxiorem substantiæ modum nactæ sunt, undè à spiritibus etsi bene constitutis sufficienter vibrari nequeunt, nec consequenter anima objectorum proprietates vividè percipere, perceptas expendere, ideas ordinare, earum objecta inter se comparare, cognita recordari, verbò meminisse, judicare, & ratiocinari non poterit.

Hæc leviter attendenti luculenter patet, causam proximam moroseos esse debilem fibrarum cerebri oscillationem, hanc verò vel ab aquosâ spirituum illuvie, vel à præternaturali emporii laxitate esse eruendam.

Præternaturalis ergo fibrarum cerebri laxitas & serosa spirituum diathesis pro causis conjunctis poterunt assignari, quæcumque verò istas producere, hoc est vel fibras cerebri relaxare vel spiritibus torporem tribuere apta nata erunt, debebunt hæc omnia inter causas remotas ac mediatas recenseri: utrumque vitium à serosis pendet humoribus, serosi humores duplice hunc præstant effectum; vel quia secernuntur cum spiritibus per cerebri glandulas, vel quia per vasa cerebri in ejusdem substantiam effunduntur, quidlibet ergò poterit ubiorem seri cum spiritibus proventum, aut ejusdem è cerebri vasis effusionem promovere, poterit illud omne morosim remotè producere.

21. Serosi humores cum spirituoso fluido per glandulas corticales uberiorū se-  
cernuntur vel quia in sanguine luxuriant ob nimiam ejus dissolutionem, vel quia coagulatio cruore è loculamentis sulphurum copiosius exprimuntur, vel tandem quoniam augetur eorum copia propter alicujus aquosí recrementi aut excrementi retentionem: nimia ergò sanguinis dissolutio, crassities ejusdem, vel recrementorum aut exrementorum aquosorum retentio, causæ remotæ moroseos jure me-rito vocandæ sunt.

Redundant partes aquosæ in sanguine ob ejusdem dissolutionem, solutis enim ac divisis sulphurum staminibus, serum è suis ergastulis extricatur, & per to-tam sanguinis molem iteratis cordis pulsationibus dispersum, salia spirituosi fluidi enervat, caque reddit functionibus animalibus naturaliter obeundis imparia: Dissol-vitur sanguis ab iis omnibus quæ ejusdem fermentationis motum intendunt, fer-mentationatum sanguinis motum augent, abusus alimentorum falsorum & pipera-  
gorum

torum ; ehilus acris , immodica exercitia , vehementiora animi pathemata , ut ira , gaudium &c. Aës cicutæ , mandragoræ , papaveris , immoderatus liquorum ardantium aut meri potus , effrænata venus , &c. Ergò hæc omnia rationibus jam dictis morbosam mentis imbecillitatem remotè inferre poterunt.

Concrescere nequit sanguis , quin partes sulphureæ & terrenæ crassiores aduentur , & ad intimorem contactum perducantur , nec illæ ad intimorem contactum perduci , quin contentum serum è loculis suis exprimant , nec tandem serum ita exprimi quin cruori supernatet , moxque recrementa omnia secernenda inficiat ; debebunt ergò spiritus aquosam naturam induere & mentis tarditatem excitare. Concrescit sanguis à causis oinnibus quæ possunt ejusdem fermentationis & trusionis motum infringere ; hæ sunt vita deses & otiosa , usus ciborum crassorum , cruditates acidæ , tristitia , metus , fructus immaturi , nebulosus & paludosus aër , somnolentia , aliaque id genus , debent ergò hæc in causarum remotarum catalogo recenseri.

Denique recrementa aut excrementa in sanguine retineri nequeunt , quin illa tūm salium quibus constant beneficio sulphurum texturæ solutionem moliantur , & aquosarum sanguinis partium copiam adaugeant , tūm simplici facto eorum cum spiritibus connubio eosdem ita immergant , ut non possint fibras cerebri sufficienter vibrare , sed potius easdem relaxare apta sint ; dupli ergò ratione possunt spiritus ob recrementorum aut excrementorum retentionem , aquosiorem comparare indolem & stupiditatem inducere. Retinentur in sanguine recrementa aut excrementa propter impedimentam naturalem eorum per propria colla secretionem ; præcluditur naturalis eorum per colla secretio , quia fiunt in hujusmodi colis impedimenta , vel quia destruuntur ; quidquid itaque poterit colla urinæ V. G. aut insensibilis perspirationis fluidi secretioni destinata obstruere , quidquid pariter eadem destruere penitus , poterit illud omne morosim mediately promovere , ut V. G. frigus præpostere suscepturn , decubitus corporis in terrâ humidâ , calculos , aut materia sabulosa testiculorum amputatio , &c. Hæc omnia sunt causæ remotæ moroscos.

2º. Nequit serum è vasis cerebri effundi in ejus substantiam , nisi hæreat sanguis in propriâ vasorum cavitate , sulphura ejus strictius compingantur , & serum in speluncis sulphurearum partium contentum exprimatur per ampliores tunicarum poros facile effluxurum ; nequit autem hære sanguis & moram trahere nisi propter genita impedimenta : hæc in cerebro generantur vel à contento intus sanguine , vel à corpore quodain vicino extrinsecus comprimente ; sanguis vasa nequit obstruere nisi quia crassus est vel præternaturaliter rarefactus , vel quia vasa cerebri à naturæ primordiis nimis laxa sunt , vel angusta , quod evidens fit ex inconcinnâ cerebri figurâ malâque conformatio , vel ex pusillo aut prægrandi capite ; rarefactio ergo sanguinis , crassities ejusdem præternaturalis , nimia aut pauca cerebri moles poterunt morosim remotè accersire , obstructiones in vasis cerebri promovendo.

Insuper partes vasis vicinæ , si quæ sint quæ possint vasa cerebri sanguifera comprimere , maximè glandulæ tumefactæ ut in Epilepsia , serum Jam diù effusum ut in Hydrocephalo inveterato , inflammations , abscessus partium vici-

narum, depressio cranii ab ictu graviore, aliaque; sed hæc omnia vasa arteriosa comprimendo liberum sanguinei fluidi commeatum præpedient & obstructionem producent; hæc igitur hæc ratione in causarum remiotorum numerum sunt adscribenda.

Jam verò priusquam symptomata moroseos ex allatis causis deducenda aggrediamur, non erit ab instituto nostro alienum paucis inquirere in quibus vulgo casibus soleat hic affectus supervenire, ex his enim clarius clucescat ad mentis stoliditatem requiri necessariò infirmiam ac debilem fibrarum cerebri succussionem, illamque luxurianti sero ortum suum attestari. Observamus autem Epilepticos, pueros, senes, crapulæ deditos, aut eos qui priùs febre malignâ laborârunt præ cœteris hebetudine mentis sæpius tentati: Et 1°. quidem constat ex morbi sacri Pathologiâ generari in Epilepticorum cerebris obstructions, stagnare in vasis sanguinem & expressum effundi serum in cerebri substantiam; debent ergò fibræ cerebri post insultum epilepticum laxæ nimis ac molles, debiliter à spiritibus cœteròquin serosis commoveri. Præterea cum insculpta ante paroxismum vestigia paroxismi tempore delectantur, & cessante illo rerum fermè omnium obliviscantur Epileptici, sequitur fore ut objecta idearum inter se conjungi nequeant, ac proindè mentis imbecillitas necessariò subsequatur, quæ tam enī restituto spirituum motu & discussis humoribus fibras laxantibus sponte cyanescit, nisi iterum atque iterum recurrent paroxismi, tunc enim tanta successu temporis conciliatur spiritibus & fibris cerebri labes, ut illæ non nisi parum etiam post insultum moveri queant, undè post plures paroxismos, obtusi. stupidiique sunt Epileptici ad ultimum usque vitæ terminum.

2°. Pueros humidiores esse adultis, lippis & tonsoribus notum est, in illis ergò laxius quam in his molliisque debet esse cerebrum, debent pariter spiritus in puerili ætate dilutiores, minorem motus quantitatem suscipere minorique energiâ pollere, sed positâ fibrarum cerebri laxitate & minori spirituum energiâ, debiles fiunt objectorum perceptiones, non mirum igitur si infantes præ adultis, præsertim verò primis pueritiæ annis stupore mentis afficiantur.

3°. Prægressæ fuerunt in senili sanguine diutinæ fermentationes, his dissoluta sanguinis compages, serum è sulphurearum partium carceribus evolutum; luxuriat ergò in senibus serosus humor, cuius copia in dies augescit ob chilum crudum & malè coctum, qui non parum promovendæ sanguinis dissolutioni confort, sed nequit luxuriare serum in sanguine quin fibræ cerebri relaxentur & aquosiores evadant spiritus, debent ergò senes stupiditati mentis esse obnoxii. Undè bis pueri senes commune fert adagium.

4°. Eâdem ratione potatores nimii frequenter hebetes fiunt, quoniam scilicet à multo mero ita acceditur massa sanguinis, ac tantam patiuntur explosionem fermentativa illius principia, ut tota sulphurea moles penitus carminetur, cùmque aliunde ebriorum stomachus cruditatibus acribus aliquando inferciatur, quæ sanguinem dissolvere serique copiam augere valent, planè sequitur fore ut fœundi calices qui multos disertos faciunt, plurium adhuc rationem perturbent, memoriā obtundant, & intellectus aciem hebetent.

Tandem in febre malignâ à dissolutione, sanguis aquosus spiritûs ejusdem in dolis cerebri glandulis suppeditat, sed vappidi & effeci separari nequeunt spiritûs, quin ad fibras cerebri delati iisdem laxiorem substantiæ modum concilient, in febris ergo malignis aquosiores debent esse spiritûs, & fibræ emporii relaxari, quod aliundè fieri potest à sanguine moram trahente in cerebro & intra ejus substantiam serum dimitente. Laxatæ autem cerebri fibræ leviter duntaxat succuti & inflecti possunt, levis ergo debet fieri perceptio, deficere judicium, labascere memoria, verbò morosis excitari.

His ita expositis nunc ordo postulat, ut ad explicanda symptomata progrediatur.

Et 1º. Quidem cùm ad delirium constituendum essentialiter requiratur imaginatio maximè vivida cuius ratione objecta absentia tanquam presentia representantur, cùmque hæc à vehementi fibrarum vibratione pendeat, facile sequitur in hoc morbo in quo parùm omnino vibrantur fibræ, debiles ideas esse inducendas, nec proindè delirium posse excitari. Quoniam verò debiles illæ vibrationes brevi cessant, excitatas pariter ideas brevi deletatas esse consequens est, adeoque animam non posse diu unum & idem objectum contemplari; cùmque aliundè fibræ à relaxatione flexibilitatem quandam obtineant, quæ leviori tametsi spirituum motu inflectantur; sequitur non priùs obliterari impressa antea vestigia quam aliarum fibrarum agitatio subsequatur, aliaque objecta de novò animæ exhiberi, quæ cum prioribus non cohærent verba & quoque prioribus non cohærente oportet, undè pagani, mulierculæ & adstantes quos fugit delirii natura delirare eos arbitrantur.

Ut motus muscularis debitè perficiatur debent spiritûs, qui magnâ ex parte huic operi conferunt, naturalem indolem obtainere; sed spiritûs in hoc morbo nimia obtruantur seri copiâ, ac proindè spirituosa salia imparia sunt ob nimiam sui divisionem magnis musculorum contractionibus exercendis; debent ergo musculi contrahi, debilitate in stupiditate affectis, adeoque insulsi stupidique ad motum sint inhabiles ac tardi necesse est.

Eloco sanguine non rubent partes, ergo si rubro inficiantur colore illud ab alluente sanguine repetendum, rursus sanguis partes alluens pro minori vel majori fermentatione, modò majorem, modò minorem partibus ruborem conciliat, ergo ulterius rubedo ex sanguinis fermentatione deducenda; cùm autem in hoc affectu heterogena sanguinis salia, quæ pariunt fermentationem, à luxuriante sero diluantur, & cursum materiæ subtilis parùm præpediant, non mirum si debilis excitetur in sanguine fermentatio, adeoque partes, præprimis verò externæ, ut potè quæ magis à corde recedunt, albo colore afficiantur: præterea cum sanguis motu cordis impulsus in arterias, difficilius viam suam versus superiora progrediatur, ad faciem minori quantitate distributum iri evidens est, undè hâc ratione præ certis partibus paler facies.

Naturalis calor quo donantur partes solidæ, à contentis fluidis derivatur; contenta fluida motum caloris naturalem partibus tribuere nequeunt, nisi ipsa priùs naturalem fermentationis luctam suscepint, hæc autem si augeatur liquidis sanguinei fermentatio, intensè calent partes, secùs verò si eadem multum obtundatur;

sed in morosi sanguis debiliter fermentescit, debent ergo partes corporis, extre<sup>m</sup>a præsertim, frigescere.

Arteriarum pulsatio & earundem dilatatio unum & idem sonant, dilatantur à subeunte sanguine, sanguis subit arteriarum cavitatem propter systolem thalamorum cordis; ergo si fiat frequentior systole, futurum ut sanguis è ventriculis cordis frequentius citiusque foras extrudatur, & in arterias impulsus earum dilatationem s<sup>p</sup>epius promoveat, sin è contrà fibræ cordis motrices lentiū moveantur, sequitur propulsum lentè sanguinem arterias lentè expansurum: sed in stupidis atque fluidum cordis motivum ob debilem sanguinis fermentationem lentè extricatur, lentè secernitur, lentè explodit, ac lentè finitâ explosione dissipatur, ergo lentas in corde efficiet contractiones, ac proinde pulsus erit latus; ob minorem ejusdem fluidi energiam facile patet & pulsus parvitas.

Nequeunt arteriæ lentè dilatari in cerebro, quin subjecti spiritus lentè in partes distribuantur; debent ergo in musculos inspirationi dicatos lentè influeré, corumque lentam contractionem producere, unde respiratio lenta, parva est autem ob minorem spirituum moleri, tandem aliquando magna ob denegatam pulmonibus requisitam tensionem, quò sit ut sanguis hæreat in hoc viscere, nervi pneumonici multum distrahanter & mechanicā cerebri major appellat spirituum copia ad musculos inspiratorios, quorum violentâ contractione pectus vehementer attollitur.

**DIAGNOSIS:** Ex allatâ definitione morosis facilē distinguitur ab omnibus soporosis affectibus; apoplectici enim, carothici, lethargici & comatosi somno indulgent majori vel minori prout sensus vel abolentur, vel magis aut minus imminuuntur, stupidii verò semper vigilant, hi apprehendunt facilē, illi nusquam nisi puncti aut vehementer vellicati; tandem affectus omnes comatosi acuti sunt, hic verò morbus chronicus & habitualis existit.

Stupidum à stulto facilē dignoscet, quisquis ad utriusque sermonem, gestus, & actiones simpliciter attendet; stultus enim admotum habilis scurrilibus jocis, gestuque ridiculo mimorum personam sustinet, stupidus verò tardus lentè & cunctanter omnia aggreditur, & actiones vitæ familiares vix obire potest, hic misericordiam, ille cachinnos audientibus concitat; stultus demum celeriter & satis aptè objecta quæcumque percipit, memoriâ viget, salsa profert, delirat; stolidus econtrà res leviter apprehendit, obscurè judicat, & adeò mente caret ut merus arboris truncus uno intuitu esse videatur.

Ut hæreditaria morosis ab aliis discernatur, debet medicus prudens ab adstantibus sciscitari an ægri ingeniosis, an verò stolidis nati sint parentibus; si enim illos fatuitate olim affectos, hæreditariam; si sapientes semper extitisse accipiunt, adventitiam vel congenitam esse arguer.

Rursus si nullum unquam apparuerit rationis ac judicij vestigium, & inconcinna sit capitis conformatio, congenita, ubi verò mens sana anteā extitit, genuina adest capitis figura, & presentes sunt causæ evidentes, adventitia indicatur. Potrō ex memoriaz, judicij, & ratiocinii defectu aut imminutione, perfecta seu gravis, & imperfecta seu levis haud ægrè deducuntur.

Ex tradita

Ex traditâ superiùs moroseos æthiologiâ proxima illius causa facile innotescit, cæteræ-verò causæ evidentes & procatarticæ vel ab ægro vel ab abstinentibus inquirendæ.

**PROGNOSIS.** Cùm aquosa sanguinis & spirituum constitutio, penitus officiar functionibus animalibus ritè obeundis, quæ nonnisi cuin summo vitæ discriminis lœdi aut perturbari possunt, cùmque morosis à serosâ sanguinis & spirituum colluvie ortum ducat, sequitur in genere morosim periculosam futuram esse.

Morbi chronicæ ac diurni à causâ contumaci oriuntur, quæ eò curatu difficultior est quò altiores radices egit, sed morosis est morbus chronicus, ergò ex eo quoque capite periculum portendit.

Cùm hæreditaria stupiditas contractum in ovo denotet vitium, ab effectis parentum humorib⁹ genitum, quod vix ac ne vixquidem curari potest; perspicuum est hæreditariam omnium esse curatu difficultissimam.

Insuper quoniam congenita vitiatam ab ortu supponit in corpore dispositiōnem, quæ difficile austertur, & à causis ignotis dependet, quarum nos latet agendi ratio; cùmque aliundè acquisita originem suam attestetur causis evidenti⁹ & manifestis quæ facilius removeri possunt, evidens est congenitam acquisitā esse periculosiorem.

Quò major erit cerebri laxitas, & quò aquosior spirituum indoles, eò difficultius curabitur, sed in perfectâ morosi fibræ cerebri laxantur magis & aquosiores sunt spiritus quam in imperfectâ, majus ergò debet in illâ quam in hâc periculum imminere.

Cùm sanguis infantum magis ac magis in dies fermentescat & novas suscipiat vires, cùm pariter partes solidæ firmitatem & vim systalticam majorem acquirant successu temporis, debent partes serosæ quæ fatuitatem producunt, tūm vi systalticâ solidorum excuti, tūm aucto calore sanguinis in auras dissipari, hinc stupiditas quæ contingit in ætate puerili aliquam curationis spei pollicetur.

Si è contrà in juvenili aut senili ætate contigerit mentis tarditas, quoniam illud arguit causæ morbificæ magnitudinem aut contumaciam, patet exinde juvenes & senes difficile omnino curari posse.

Quæ Appoplexiæ, Lethargo, Epilepsia aliisque morbis succedit, item quæ à depresso cranio aut à testiculorum privatione pendet, insanabilis censetur, præser-tim verò si altius radicata fuerit; tunc enim debita tūm spirituum tūm cerebri crasis penitus invertitur, & vix omnino restitui potest.

Cùm in hoc affectu sensationes externæ si non ritè, saltem aliquatenus exerceantur, sequitur in somno præternaturali & profundo, in quo prædictæ functiones minus bene perficiuntur, majus adesse vitium, ac proinde soporem quæ supervenit in stupiditate affectis, infausta prænuntiare.

Ex adverso, cùm à calore febrili serum sanguinis copiisius avolet ac discutiatur, cùm etiam fibræ cerebri majus consequantur elaterium, colligo rursus & spiritus minus dilutos secernendos esse & serosum laticem fibras exundantem facilius expulsurum, adeoque bœoticum placè ingenium, adveniente febre, acutum futurum esse consequens est.

10

**CURATIO.** Cùm in hoc affectu serum redundet in sanguine , debent recrementa eaudem ac sanguis à quo profluunt , indolem obtinere , fermenta ergò digestiva aquosiora fore , ac proinde alimenta minus bene in primis viis concoquenda necessè est , quod aliundè repeti potest ex eò quod spiritus serosi , debitam glandulis stomachalibus aliisque tensionem ac vim systolicam denegent , ad recrementorum quæ continent secretionem maximè necessaria : generantur ergò cruditates in stupidis , illæ autem sanguinem subeundo morbum fovent , debent ergò medicamentorum ope eliminari ; eliminantur ab enematis emollientibus & purgantibus , ergò ab his instituenda est curatio .

Cùm enematum beneficio ea tantum saburra quæ in crassis intestinis includuntur , foras auferatur intactâ saburrâ tenuiorum , debent ea in usum vocati medicamina quæ utramque valent expellere , hæc sunt purgantia , ergò purgantia adhibenda , inter hæc autem præstant hydragoga ut potè quæ serum potentius expurgant .

Ulterius eò præcipue collimare debet medicus , ut serosa sanguinis colluvies evacuetur , & effusa discutiatur ; utrumque conferunt catartica tūm augendo sanguinis motum , tūm glandularum intestinalium majores & frequentiores contractiones promovendo , catartica , ergò hâc etiā ratione usurpanda .

Quoniam verò vomitum ciendo impeditur , quominus crudæ materiæ in ventriculo aggestæ sanguinem ingrediantur , cùmque validis corporis succussibus , fibræ cerebri serum quo opprimuntur exutiant , & torpens anima excitetur , quæ duo præstare nequeunt sola catartica , evidens est Emetica esse catarticis præferenda .

In hunc finem seçari venam jubet medicus ut intensam minuat sanguinis effervescentiam , sed in hoc morbo multum obtunditur , imò quandòquè languet penitus , venæ sectionem igitur in morosi non modo non convenire , imò aliquando noxiā esse existimamus .

Imininetur pariter superflui in sanguine seri copia , si illud aliò determinetur , ejusque evacuatio per alias vias perficiatur : huic operi consulet medicus , tūm errhina , tūm sternutatoria , tūm masticatoria præscribendo : his enim , vel ad glandulas narium , vel ad salivales , humores copiis affluunt & cùm bonis ægri rebus expurgantur , eodem prorsus modo agunt cauteria .

Licet sudorifica & diaphoretica , sanguinem dividendo uberiorem seri copiam producant & sic fatuitatem augere possint , quoniam tamen quâ proportione generatur serum , eadē ipsâ educitur foras vel cum sanguine confunditur , ideo huic morbo multum conducunt .

Nec negligenda topica , quæ in hoc ævo nescio quâ sorte à praxi medicâ ferè omnino exularunt : tempora & suturæ oleo nucis moschatæ vel de cariophillis inungantur , vel fiant lotiones capitis cum docotto ex plantis aromaticis & cephalicis in vino generoso , aut cum aquis thermalibus bellilucanis , quæ etiam epotæ fælici cum successu adhibentur : hæc enim omnia calefaciendo cerebrum , naturalem fibratum tonum restituunt , impedimenta , si quæ sint in cerebro , tollunt , & spiritibus alacritatem conciliant .

Cùm fibræ cerebri iteratis succusionibus possint serosum quo laxantur humo-

sem expellere, cùmque illæ à spiritibus succutianeur, sequitur ad excutiendum serum, movendos esse fortius spiritus & frequentius, quod seduli præceptoris ope perficietur; ille enim variis increpationibus ac monitis plura stupidum edocet ita ut tandem sopiti spiritus pristinam agilitatem recuperent, quod intelligentum est de levi fatuitate, nam gravis nec documentis magistri cedit, nec remediis.

Copiosa extat apud autores medicamentorum omnis generis sylva, quæ singulatim hic referre non patiuntur præfixi theses limites.

Interim caveant stupidi à somno præsertim diurno diutiisque protracto, moderatè vigilent, abstineant ab oleribus, fructibus immaturis, lacte, acetariis, aliisque crassis eduliis quæ serosam cruoris diathesim augent, sed potius tenui utantur victu & calefaciente, vinum generosum esto, calidus hauriendus aër, æstus libidinis compescendi, tandem vitanda animi pathemata vehementiora, præsertim verò mœstitia, timor, &c.

Plurimum commendatur potus chocolatæ, vel coffè, vel thé, pluriès in die repetendus, singula enim hæc hausta liquida aquam quâ oppletur sanguis partim confundunt cum cæteris principiis, partim per urinas aut insensibilem perspirationem foras extrudunt, cruditates primarum viarum emendant, stomachum reficiunt, obstructions cerebri referant, & amissam restituunt fibris cerebri tensionem: sed quid exterorum plantas, raritate magis quam excellentiâ pretiosas, laudibus curamus extollere? Prædicent Indi terræ suæ semina, ligna, fructusque jacent Afri quæcumque apud illos visuntur simplicia; nos verò Mægyptiis fœliciores quibus nascebantur in hortis numina, in uberrimo solo nati, divinas medicinæ opes non in hortis solum, sed & in collibus, montibus, sylvis passim & sine pretio colligimus: est apud nos & in terris nostris frequentissima nascitur herba salviæ nomine insignita, plantam thé odore suo longè superans, sed eodem decoctionis modo usurpanda, hæc sale volatili oleoso quo turget apta est ciborum coctionem juvare, sanguinemq[ue] antiorem reddere, effusum dissipare serum, & majorem spirituosi laticis genesim promovere: ad quid igitur externorum adjumenta, ubi domesticas opes natura mater abundè suppeditat? Suis quisque fruatur bonis, thé Indus servet, nos patriæ divitiis contenti, salviæ nostræ palam referentes, concludimus.

ERGO Moroso potus salvia

M O N S P E L I I

Aqua Horno, Atena, Pæna Regia, Universitatis, Cuius 28 Ubiq[ue] T[em]p[er]atu

M DCC. XIX

DISPUTATURI.

*PROFESSORES REGII.*

- R. D. Franciscus Chicoyneau, *Cancellarius.*  
R. D. Joannes Chastelain, *Decanus.*  
R. D. Joannes Bezac.  
R. D. Petrus Chirac.  
R. D. Petrus Magnol.  
R. D. Antonius Deidier.  
R. D. Petrus Rideux.  
R. D. Antonius Magnol, *Patris Coadjutor.*  
R. D. Joannes - Henricus Haguenot, *Doctor Aggregatus*

*DOCTORES ORDINARI.*

- M. Mauricius Pelerin.  
M. Eustachius Marcot.  
M. Antonius Fizes.

Quam propugnabit Deo-duce & Auspice Deiparâ JACOBUS CASSIERE  
Claromontanus, apud Arvernos, Artium liberalium magister, jam dudum me-  
dicinæ studiosus in angustissimo Monspeliensis appolinis lycœo die 26. Septembris  
 anni 1712. ab horâ octavâ ad meridiem.

**PRO PRIMA APPOLLINARI LAUREA CONSEQUENDA.**

MONSPELI,

Apud HONORATUM PECCH Regis, Universitatis, Cleri & Urbis Typographum.

M. DCC. XII.